



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. Quænam sint causæ physice concurrentes ad actum Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Quenam sint causæ physicæ concurrentes ad Actum charitatis.

Causæ morales actus charitatis.

Causas amoris tres ponunt Philosophi morales, ut initio sæpè dixi, prima est bonitas & pulchritudo, secunda similitudo, tertia amor. Aristoteles autem *9. Ethicorum*, causas amicitiae dicit esse praesentiam, benevolentiam, beneficentiam, sed illæ omnes moraliter solum & motiue causant actum amoris, allicientes voluntatem, pertinentque ad obiectum eius formale: Causæ verò quæ in hunc actum physicè influunt controuersiam maiorem habent propter Thomistas, qui plurima hinc docent difficilia, & olim reiecta, cum dixi, de visione, nam eadem de utroque actu ratio est, nisi quod visio spectat ad intellectum, charitas verò ad voluntatem unde tres tantum causæ possunt ad actum illum concurrere, gratia, voluntas, & habitus Charitatis.

Gratiæ influxus.

Certum igitur est primò, quod nullus vnquam elici potest actus charitatis ad quem gratia non sit simpliciter necessaria, & voluntatem præueniens, & confortans, & subsequens *indit amorem* (inquit S. Prosper, Carmine de ingratis) *quod redamatur amans, & amor quem conferis ipsa est.* Hoc autem totum ex toto tractatu de gratia satis liquet.

Influxus potentie.

Certum est secundò, quod voluntas libera etiam physicè, immediatè, sed instrumentaliter tantum concurrat ad actum, & illum producat, non autem solus habitus ut volunt Thomistæ. Sic enim habetur ex Tridentino sess. 6. can. 4. *si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum merè passiuè se habere, &c. anathema sit*, & sanè quamuis non ita definiret concilium, persuaderet sanè omnino efficaciter vitalitas, & libertas actus, quomodo? ille vitalis erit si ad eum potentia vitalis non influat, & quomodo? erit liber, si à voluntate nullo modo pendeat. Addebam voluntatem instrumentaliter solum concurrere ad actum charitatis supernaturalem ad quem eleuatur obedientialiter, probatum manet ex dictis de influxu intellectus in visionem beatam, est enim par omnino ratio.

Influxus habitus charitatis.

Certum est tertio, quod habitus etiam charitatis quoties est in voluntate priusquam eliciatur actus charitatis effectiue physicè, non principaliter, sed instrumentaliter producat actum charitatis, quia si non actiue influeret nullo modo posset eleuare potentiam, neque augere vires voluntatis, quod autem volunt nonnulli Theologi habitum hunc receptiue tantum, & dispositiue concurrere ad actum charitatis, aliàs reiectum est, cum agerem in simili casu de lumine gloriæ. Denique constat ex ibi dictis, quòd voluntas sine vilo habitu inherente, per solum auxilium extrinsecum, non solum per potentiam Dei absolutam, sed etiam iuxta potentiam valde ordinariam producere potest actum charitatis, sicut etià absque vilo lumine gloriæ posset intellectus producere visionem beatam, ut probaui, contra Thomistas, & quoad actum charitatis est magis perspicuum, nam quando per actum charitatis peccator primum iustificatur, & acquirit habitum charitatis, implicat ut ille idem actus charitatis qui producit habitum, producat ab eodem illo habitu quem producit, quod tamen non admittant Thomistæ, Valentia, Vasquez, & Turrianus, demonstratum sanè videtur in Tractatu de Pœnitentiâ præsertim ex impossibilitate mutue causalitatis inter duas causas quæ se inuicem causent, in eodem, vel diuerso genere, causâ finali exceptâ.

Quenam sint proprii effectus actus Charitatis.

Tres effectus proprios amoris ponit S. Dionysius, ut ponebam initio disputationis vnionem, Ecstasim, & Zelum, S. Thomas tres alios constituit gaudium, pacem, & misericordiam: de tribus primis, multa & mirabilia disputant mystici Theologi, quomodo amor efficiat primò, vnionem cum sit inclinatio in dilectum, occupat enim cogitationes affectus, & potentias omnes circa dilectum, deinde facit perfectam conformitatem voluntatis cum voluntate dilecti, denique maximè inclinat ad similitudinem. Secundò efficit Ecstasim & Zelum sicut dixi. Unde de tribus aliis effectibus numeratis à S. Thoma videndum est, an illi sint effectus charitatis, quid, & quanti sint.

§. I.

De primo effectus charitatis qui est gaudium S. Thom. quæst. 28.

Dico primò, proprium effectum virtutis charitatis esse gaudium de bonis diuinis, & de bonis Proximi asserens aliquam promptitudinem feruorem & diligentiam circa bonas actiones quibus bonum diuinum, vel bonum proximi procurari potest, quod licet in hac vita plenum esse nequeat, perfectissimum tamen aliquando est, & superat omne aliud gaudium, tametsi non omnino excludat omnem tristitiam, sed tantum illam valde diminuat.

Primam partem probat S. Thomas ratione quam nuper attuli, quia eiusdem virtutis est amare bonum, & de illo præsentè delectari, sicut eiusdem virtutis motricis est in locum suum naturalem inclinari, & in eo conquiescere: Charitatis autem amat bonum diuinum ut sic, ergo delectatur etiam de bonis quæ Deus habet, & de Deo ipso præsentè ac possit per gratiam & spem.

Secunda pars definit quale sit hoc gaudium, non enim est sola illa complacentia in bonis diuinis, quæ dixi actum esse proprium & elicium charitatis, æquè ac dilectionem, sed est complacentia prout iuncta vel potius prout causans feruorem, promptitudinem, & diligentiam quandam ad pietatis exercenda opera quibus augetur bonum dilecti: ratio est, quia gaudium charitatis opponitur acedia, quæ tristitia est de bonis diuinis, prout causans tepiditatem quandam, tarditatem & negligentiam ad exercenda opera quæ placent Deo, vel Proximo: gaudium ergo istud tria inuehit acediae opposita feruorem, id est affectum quandam vehementem ad obeunda opera non solum præcepta sed etiam supererogationis, aqua enim feruere dicitur quando præ calore inflatur & extra vas hæsit: feruor enim est affectus intensissimus ad obeunda pia opera, & hæc summa est perfectio charitatis, ad quam incitat maximè Spiritus habitans in anima, Spiritu feruentes, domino seruietes. Ex affectu autem illo nascuntur promptitudo, & diligentia quæ sunt etiam ipse feruor amoris, *assument pennas ut aquile, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficiunt* vel potius mallet dicere feruorem illum adeò laudatum in scripturis non esse aliud, quam affectum illum ingentem & intentum placendi Deo, ex quo statim oriuntur gaudium illud, promptitudo & diligentia in obeundis operibus pietatis. Et ille feruor efficiens gaudium, promptitudinem, & diligentiam, quando versatur circa cultum Dei orationem

Vnio, Ecstasim, Zelus.

Gaudium effectus est charitatis.

Quid sit illud gaudium oppositum acedia.

Feruor quid sit.